RECENSUS PRAECIPUORUM, QUAE AD PROLAPSUM UTERI RETINENDUM ADHIBERI SOLENT, INSTRUMENTORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

DIE IV. MENSIS IUNII ANNI MDCCCXLIX.

ELEAZARUS LUDOVICUS LEHMANN,

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

G. MAYER, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
E. VOSSWINKEL, MED. ET CHIR. DR.
E. FUNCKE, MED. CAND.

BONNAE.

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

MDCCCXLIX.

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

Recensus praecipuorum, quae ad prolapsum uteri retinendum adhiberi solent, instrumentorum.

Priusquam ad rem ipsam, quam mihi proposui tractandam, progrediar, id lectores benevoli ut in excusationem laboris tenuioris reputent, rogo, eum, qui solo studio et meditationi innitens rem aliquam practici argumenti tractare suscipiat, quae usu tantum propriaque experientia perfectius expediri potest, non ita scite proposito explendo satisfacere posse, quam rei ex usu practico iudicioque exinde hausto satis peritus. Nihilominus si quis ideo iuvenilem opellam absque tali experientia rem susceptam reprobandam putaret, quod temerarium habeat, tale laborum specimen absque illis experientiae et critices maturae praesidiis moliri, is cogitet, quaeso, non omnibus, immo paucis tantummodo iuvenibus licere, quae ipsi experti sunt, novis vel perfectioribus inventis propositisque augere. Etenim eo tantum allaborandum erit iuveni artis medicae studioso summosque in arte honores ambienti, ut, quae ipsi in studiorum academicorum curriculo obvenerint indagatu notatuque digniora, aut quae is in aliqua doctrinae parte praecipua animi attentione eru-

ere studuerit, publici iuris faciat, eoque monstret, quatenus iam profecerit, quidque cives aliquando de eo possint sperare. Quare ut lectores in iudicanda hac mea qualicunque dissertatione illius Ovidiani effati memores esse velint, rogo: „Ut desint vires tamen est laudanda voluntas.“

Vetus illud malum, et quamdiu mulieres exstant notissimum, de quo tam multa cogitata sunt, tam multa scripta, in quo prae aliis parum effectum est, me quoque impulit, ut id ipsum, quantum possem, observarem, quod alii experti sunt, cognoscerem, varias curationes examinarem, earum vitia et virtutes exponerem, denique demonstrarem, non unam tantummodo opem in omnibus, quibus accidere id possit, veram esse et praestantem, sed pro re nata aliam alia esse potiorem, quam amplecti debeamus, nonnulla autem ex iis, quae adhiberi solent, remedia prorsus esse reiicienda.

Tria sunt, quibus effici putant, ut uterus prolapsus supra pelvis introitum suspensus teneatur. Aut natura ipsa tale quid instrumentum praebet, ex quo ille suspendatur, sicut omnino res quaedam cum alia ita coniungi potest, ut, una translata, altera quoque transferatur, aut si minorem habet cohaerendi vim et facultatem, ut ponderis gravitatisque legem sequatur. Aut corpus humanum, utpote quod vi sua vitali agit, partes in quibusdam positionibus sustinere potest, id quod in corporibus, ut ita dicam, anorganicis non invenitur.[1]) Tertio denique una causa cum altera coniuncta singularis uteri situs efficitur.[2])

Quod ad primum attinet, plurimi medici ligamenta ro-

---

1) **Busch** et **Hohl**, Neue Zeitschrift für Geburtskunde herausgegeben von Dr. W. H. **Busch**, Ferd. Aug. v. **Ritgen**. E. C. J. v. **Siebold** 24. Bd. 3. Hft. Jahrg. 1848. S. 322 fgg.

2) Die Krankheiten der Weiber v. L. J. C. **Mende** 2. Th. Berl. 1811. S. 287.

tunda et lateralia, laquear vaginae,[1]) peritonaeum, aeris quoque pressum uteri quasi suspensoria esse affirmant.

Sed non mihi demum sumo, refutare illorum opinionem, ex istiusmodi ligamentis (lig. rotundo et lateralibus) pendere uteri positionem, cum iam docta obstetrix Boivin et Dugès docuerint, ligamenta illa etiam in situ uteri normali semper laxa inveniri et pendula. Id vero, a quo aliqua res suspensa tenetur, strictum sit oportet et firmiter tensum, illo, quod pendet, et infimum locum occupare studet, resistat. Huic accedit, quod in cadavere, ligamentis abscissis et ab utero seiunctis, hunc ipsum extrahere frustra conabimur. Quae cum ita sint, luculenter demonstratum est, ligamenta parum, ne dicam, nihil valere ad uterum retinendum.

Peritonaeum quidem ad haec maioris est momenti, quod uterum cum partibus vicinis, vesica,urinaria et intest. recto, coniungat et quasi alligat. Obducit enim uterum, inter hunc et vesicam unam plicam formans, inter hunc et rectum duas plicas semilunares Douglassii.[2]) Quamdiu hae plicae integrae sunt, uterus non facile prolabitur. Ubi vero tumores et tractus intestinorum supra introitum pelvis tantopere premunt, ut illae plicae in partem inferiorem cedentes proongentur et explicentur, facile intelligitur, oriri inde posse uteri prolapsum. At si solum peritonaeum illud retinere valeret, annon, quaeso in prolapsu uteri unam alteramve partem vicinam sive utramque magis minusve una cum utero a sua sede removeri necesse foret? Quod necessario eveniret, nisi forte peritonaeum naturam suam mutaret. Cum autem tot exstent exempla, in quibus hoc non factum esse de-

1) Klinische Vorträge von Fr. A. Kiwisch von Rotterau, 1845. S. 127 fgg.

2) Froriep's chirurg. Kupfertafeln, Nr. 388 u. 389, 416, 417.

monstratur, ne peritonaeum quidem solum in caussa esse potest, ut uterus retineatur.

Laquear vaginae, quod tam arcte cohaeret cum utero, ut portio vaginalis nuda in illud proiecta sit, multum quoque ad sustinendum uterum conferre nemo erit, qui neget. Atque vere sustinet ipsum et, ut ita dicam, naturalis quasi est ὑστεροφόρος.

Quamvis utilissimum sit et fructuosissimum, quae fiunt in corporibus vivis, analogiae ratione iis, quae in anorganicis corporibus fiunt, illustrare, quippe quae sensibus magis aperta sint, nil tamen nocentius, quam, ubi de corporibus organicis sermo est, vim vitae eiusque naturam utut adhucdum obscuram, in examinandis explicandisque rebus postponere et negligere. Quod quidem Cl. Busch probe intellexit omnes de hac re quaestiones funditus repudians, et centrum organicum, quod appellavit, statuens, quo solo uterus retineri possit. Luculenter enim is demonstravit, non uteri pondus accusandum esse, cum uterus gravidus in progressu graviditatis sursum ascendat, et sic legem in natura anorganica valentem prorsus spernat, auctaque vi vitali tantum altius petat eaque in sede diu remaneat. Cl. Buschio adstipulari nullus dubito. Sed nihilominus pro certo affirmare velim, quaestione ipsa, num illa vis vitalis, quae oculos latet recondita ad finem dictum assequendum propriis auxiliis utatur, indigitari quoque morbi curationis viam eamque moderari. Posito enim, ut, vagina peritonaeoque sanis integrisque, uterus solus vi quadam nociva laesus sit et infirmus factus, hic tamen, quamvis suo, ipsius vigore privatus, non prolabitur, quod, quae retinent illum pondus eius superare valent. Hinc scirrhus, fungus medullaris, polypi, ceterique morbi, quibus vis uteri vitalis exstinguitur aut minuitur, non semper efficiunt prolapsum uteri.

Itaque, ut plerumque fit, hic quoque verum tenet viam mediam. Manifestum enim est, et vim vitalem uterum sustentare, et laquear vaginae peritonaeumque quasi instrumenta esse, quibus id efficitur.

Quae quum ita sint, duo genera sunt, ad quae uteri procidentia referenda est. Prima quidem causa ex tota mulieris natura debilitata et infirmata originem ducit, unde morbus uterum partesque vicinas quoque affligit. Alterius generis causae duplices sunt, cum aut ab ipso utero et genitalibus partibus proficiscuntur, aut vi quadam externa motae has potissimum offendunt. Ut exempla prioris afferam, graves morbi, longius durantes, assiduae curae nimiique labores, tenuis victus, alia, tota organismi constitutione fracta has quoque partes corrumpunt. Masturbatio contra, fluor albus, crebra puerperia, vis illata, tumorum pressio, lapsus, alia, alterius generis exempla praebent.

Quibus praemissis, tanquam fontibus, unde haurimus diversorum aegritudinis generum curationes, antequam accedamus ad praecipuas curandi rationes hodie demum comprobatas, ad rem propius accedentes monemus, non esse nobis propositum, hasce curationes, quomodo inventae sint, quomodo auctae, describere et adumbrare, quod sane inutile esset et supervacaneum, cum perfecta de hisce rebus exstent opera eaque copiosa. Nos autem eo contenti sumus, ut varias, quae in usum aut veniunt, aut paulo ante hoc tempus venerunt, curationes recenseamus in hanc ordinem redactas.

Uterus retineri solet

I. Alienis corporibus;

1) pessariis,

2) spongiis, quae externis vinculis retinentur.

3) sacculis, qui medicamentis referti sunt.

4) Vinculis illis externis, quae Angli abdominal-supporter vocant.
5) Elythromochleo (Cl. Kiliani.)
6) Hysterophoro (Cl. Mayeri.)

II. Operationibus viam recludentibus.

1) Cruentis
   a) Episiorrhaphia.
   b) Elythroraphia.
   c) Abscidendo totam partem prolapsam.
   d) Sutura adstringente.

2) Incruentis
   a) Coarctatione vaginae ferro candente adhibito, aliisque medicamentis rodentibus.
   b) filo vehementer constricto, ut illa pars vaginae, quaę supra vinculum est, moriatur.
   c) annulo in labia maiore illato.

Prima quaestio est de *pessariis.* Et superiores quidem medicos excusationem quaerere non oportet, si ad desperationem adducti, quod graviores uteri prolapsus nullo superari possent remedio, felices sese praedicarunt, aegrotae mulieri vel cum damno sanae vaginae integrique uteri movendi facultatem, firmitatem corporis, facultatemque urinae et alvi mittendae sese reddidisse. Quorum medicorum scripta qui perlegerit, sciet, quantis laudibus pessaria extollantur. (Cfr. Siebold, Jörg, Carus, Kiwisch, ceteri.)

Ea quidem in casibus aliis aliam afferre utilitatem negari non potest. Id quoque concedimus, illorum virorum testimoniis fidem esse habendam, sed dubitamus, curationes ad extremum usque eos esse persecutos. Mulier enim, laetans, pessario illato firmum habitum sese nactam esse et a molestiis ex uteri prolapsu procreatis liberum, medicum reliquit, haud praevidens, paullo post graviora se perpes-

suram esse. Corpus enim alienum etsi non in omnibus efficere debuit irritationes, inflammationes, suppurationes, gangraenam denique, certe in pauperibus, quae imprimis hoc morbo vexantur. Hae enim raro tantum a medico auxilium petere possunt, et tunc demum denuo id faciunt, quum morbus maior sit medicina, et pessarium inscindens suppuransque pannis tantummodo vaginae et per particulas extorqueri possit. Exinde gravissima exorta sunt mala. Mulierem autem alios consulturam esse facile intelligitur, quum prior medicus malum, quod putaverat sustulisse, revera auxerat. Quae pessaria quam acriter impugnaverant permulti medici iam ante 40 annos, et sic quoque nostris temporibus![1])

Dr. C. Mayer[2]) ita verba fecit[3]):

„Was die Pessarien," inquit, anbelangt, so wissen wir zwar, dass dieselben eine nicht vollständig vorgefallene Gebärmutter und Scheide nach vorangegangener Reposition in der normalen Lage zu erhalten vermögen .... Indessen hat die Erfahrung aller Chirurgen und Geburtshelfer es längst herausgestellt, dass keines der vielen genügt, um gerade die häufigsten, der Hülfe am Meisten bedürftigen Formen, die Jahre lang bestehenden, sehr grossen Vorfälle zurück zu halten. Ihre Nachtheile sind aber so gross, dass sie unbedingt ganz und gar aus der Praxis verbannt zu werden verdienen.

Idem porro, et pluribus, quae ad curationem per-

---

1) Joh. Mende »die Krankheiten der Weiber« Berl. 1817. S. 323 folgend. Jos. Fr. Osiander »dissertatio inaugur. med. de fluxu menstruo atque uteri prolapsu. Götting. 1808.

2) Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten von Dr. El. v. Siebold. Frankf. 1811, Band 1, §. 824 fgg.

3) Der Gebärmutterträger (hysterophorus) Berl. 1848, S. 18.

tinent, rebus praemissis, narrat, se coactum iam fuisse, ut pessarium sphaeriforme cum vagina arcte coniunctum instrumento quodam, quod Holzschraube appellavit, adhibito, simul cum particulis vaginae eriperet; ut alia, rotunda, ovalia, veligno sed vel cortice parata refringeret;[1]) ut unum pediculatum pessarium ex argilla porcellanea factum laboriose removeret, fistula vesico-vaginali relicta.[2]) Quid, quod miseras eiusmodi mulieres maximis doloribus, anxietatibusque degerrime suppressis mortuas videbat! Quis igitur est, qui non talibus ab illo aliisque relatis impellatur, ut contra pessaria adhibenda dimicet. Num negari licet, massis eiusmodi alienis membrana mucosa irritata, secretionem augeri, et foetidam ac purulentam fieri,[3]) ulcera maligna excrescentiaque nancisci?[4]) Cuius secretionis malignae pars quum supra instrumentum versus uteri collum spectans sese collegerit, et materies quasdam haud scio, num sint calcareae, deposuerit,[5]) quo incrustatur quasi corpus alienum, viae secretionis excernendae obstruentur, illaeque adhaesiones, de quibus sermo est, orientur. Quid prostat, quo talibus praevenire possimus, nisi forte iniectionibus crebris frequentique purgatione eventum illum a muliere avertere contingat. At

---

1) Dohlhoff in Medizin. Zeitung v. Vereine für Heilkunde in Preussen. Berl. 1838, S. 211. porro Colombat, tom I, p. 234. Nollet: Observations chirurgicales 33. Pouteau, Oeuvres posthumes, tom. III.

2) Similia observantur ab Amussat, Gazette médicale de Paris, tom. III, Nr. 6. — Behrend und Moldenhawer neueste med. Journalistik des Auslandes, Bd. IX, Nr. 3, S. 381, Leipz, 1832, Juni. Klinge, S. 77.

3) El. v. Siebold, Journal für Geb. Bd. IV, Hft. 3. S. 487 — Porro Clarke Th. I. S. 81.

4) F. Cloquet, mem. de l'Academie de Medecine, 29. June 1826.

5) De la Motte: «Mémoire de l'Academie de chirurgie. Tom. II.

incommoditas, qua nulla alia res magis impedit aliquam curandi rationem, efficit, ut paucae tantummodo aegrae per longum tempus hanc curam probent et ut per quatuor hebdomades sive, omnibus diis faventibus, aliquot menses medicis obtemperare pergant, neque prius hanc curam petant, quam quum nimis serum est. In ea enim maxima opus est patientia, qua, pessariis remotis, indies iniectiones vel ipsa in se instituat vel ut fiat, curet. Sic nisi in omnibus, certe in pauperibus, quae quasi solum formant nativam uteri prolapsuum omni medicina maiorum, res ita se habent. Prae omnibus cura sit ad finem ducenda. Assiduitas vero cum pessariis adhibendis coniungenda non potest quin inter difficillimas conditiones referatur. Homines enim assidui sunt, si brevi finem assecuturos se esse sperant; per longius tempus, quum nesciant, quando finiatur labor, non sunt. Imprimis pauperes et facultate et otio ad curam assidue persequendam egent.

Etsi haec ita sint, tamen Cl. Kiwisch anno 1845 pessaria defendere ac commendare conatus est.[1]) Ipse describit pessariorum speciem, a se, ut dicit,[2]) inventam, eamque pediculatam, quam laudat. Cuius adhibendae occasionem quanquam nos non habuimus, tamen, quae de omnibus pessariis supra latius attulimus, de hoc ipso valere existimamus. Instrumentum enim adeo est compositum artificiose, ut autor ipse dicat, ab aegris, si aliqua essent docilitate, posse id inferri. Docilitas vero imprimis in plebeiis mulieribus non est exspectanda. Porro ipse dicit, partes ab instrumento tactas non maxime irritari. Non maxime, sed aliquo tamen gradu. Quod nisi intellexisset, nequaquam

1) Klinische Vorträge und spezielle Pathologie u. Therapie des weiblichen Geschlechtes. Prag 1845. S. 144 flgd.

2) Cf. Rheinische Monatsschrift, Jahrg. 1847. S. 506. (Kilian.)

attulisset. Irritamentum vero exiguum per longum tempus vel impatientia sequitur, vel, nisi removetur, illi mali eventus, quos supra illustravimus. Ipse quoque dicit, mulieres, quae pessaria ferre solitae sint, sui ipsius impatientes esse.[1]) Ceterum, si omne pessarium esset indicatum, speciem a Kiwischio inventam utilem esse atque ad finem assequendum quam aptissimam puto.

Venio nunc ad alterum huius dissertationis locum, quo continetur, quales sint spongiae, quae externis vinculis retineantur. Historiam medicinae nobis perlustrantibus iam Hippocrates occurrit, qui illas adhibebat. Quem secuti omnes omnium temporum medici nil habebant, quo mutarent. Qui semel, ad aliquem finem assequendum in vaginam illatam spongiam eripi viderit senseritque illum odorem foetidum, ne dicam pestiferum, ereptam sequentem, is sciet, quanta egeat cura spongia illata, ne omnes, qui aegram adeunt, fuget. Eo igitur pessariis ipsis postponenda. At non quantum haec, irritat. Quare permulti recentioris temporis medici libenter effugiunt pessaria redieruntque ad spongias. Id igitur inter omnes constat, spongiam, quum quam lenissime adiaceat vaginae simulque medicamentis morbo aptis possit compleri, anteponendam ceteris instrumentis.[2]) Neque est dubitandum, quin in levioribus procidentiae casibus satis valeat et ad retinendum et ad sanandum quoque uterum. Me igitur alicui interroganti, quando sit adhibenda, respondebo, in omnibus recentioribus casibus levioris modi, ubi vis vitalis non suppressa. Id saltem certissimum dico, priusquam ad illa irritamenta vehementissima transgrediamur,

---

1) Eius Klin. Vorträge etc. S. 152.

2) Dr. El. v. Siebold: Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frkft. a. M. 1811. §. 824.

periculum esse faciendum lenioris, numquam vero esse omittendum, purgatus crebros esse conditionem, sine qua nullus successus. Quare quibus facultas deest otiumque, diligentissime parere medicorum praeceptis, pauperibus praesertim, non modo non conducit sed nocet etiam.

Quae de spongiis docere conatus sum, de sacculis quoque medicamentis refertis eodem modo valent. Quid enim fuit facilius ad intelligendum, quam illam rationem curandi aliis aptiorem esse, cui vis et retinendi et sanandi una inesset. Ad quem finem assequendum ut spongiae imbuuntur liquoribus adstringentibus, aromaticis, ita sacculi illi compleri solent medicamentis eiusmodi. Vis eorum irritandi minima, retinendi, quum vinculis externis sustineantur, magna. At ob crebros et necessarios purgatus, inductiones et eductiones in ipsis illis, quae imprimis suppressae sunt procidentiae uteri, raro possunt adhiberi, ideoque, quo maxime opus est, carent. Praeceptor meus amatus Kilian recentissimo tempore docuit, sacculos illos quasi elythromochlea esse posse. Quomodo id efficiatur, infra accuratius describam, quum de elythromochleo ipso sermo erit.

Iam ad aliam uteri retinendi rationem describendam transgrediar, quae tantum abest, ut, proinde ac de eiusmodi aegris bene merita, laudetur, ut a plurimis neglecta, a multis etiam vituperetur. Vinculum illud dico, quod Angli *Abdominal-Supporters* appellant. Est vero sustentorium regionis hypogastricae, quod efficit, ut, nullo interno instrumento adhibito, pressu versus orificium ani et perinaeum agenti, uterus prolabi non possit. Qui primus illud invenit, et Annanus[1]) fuit, Americanus et A. G. Hull.[2])

---

1) Frorieps neue Notizen. Bd. III. Nro. 50. 1837. Juli 4. p. 96.
2) On the utero- abdominal Supporter. Lond. 1838. 8.

Perpendentes nos, quid sit, cur eiusmodi vinculum retineat uterum prolapsum, inveniemus, spatium illud inter vesicam atque uterum et inter uterum ac rectum, in quo peritonaeum plicas illas format semilunares, coarctari pressu externo plicasque ipsas prohiberi, quominus explicentur, ergo uterum, ut supra latius descripsimus, prolabi non posse. Illis mulieribus miseris, quae ex longo tempore laborant ex uteris neque ullam retinendi rationem ferre possunt, illud abdominal - supporter maxime conducit. Quo dicere quidem non possumus, malum radicitus sanari, sed levari et leniri, possumus. Facultas libere se movendi, eundi, standi, sedendi, alvum solvendi, lotii mittendi, omnino datur. Equidem vidi mulierem circiter 60 annos natam, quae ex quindecim annis de utero prolapso questa est, quum corporum alienorum omnino esset impatiens, ut moleste et misere viveret, illo Abdominal-supporter maxime adiutam esse. Ire, stare, currere, atque etiam de alto desilire potuit, nullo prolapsu secuto. Quaeritur, in quibus casibus salus ab illo speranda sit. Facile est ad intelligendum, mulieres, integumentis abdominalibus crassis tumidisque praeditas, panniculo cum adiposo quam maximo vel cum ventre pendente non posse sperare, fore, ut saluti illud sit. Contra illae, quae macie confectae, graciles sunt, plurimam utilitatem adipisci illo vinculo possunt. Argumenta, cur res ita se habeat, Froriepius nobis dedit,[1]) quae *Malgaigne* affirmavit. Quorum ope nunc manifestum est, esse prolapsus uteri, qui sequantur herniam dependentem inter rectum et vaginam in posteriore pelvis pariete. (hernia vaginalis posterior). Illo ***Abdominal-Supporter*** omnia intestina sustentantur.

---

1) Chirurgische Kupfertafeln Nr. 388 et 389, 416 et 417.

Iam restat, ut accuratius perpendam qualia sint illa et a Kiliano et a C. Mayero inventa instrumenta, et *elythromochleon* et *hysterophorus*. At inepte facere mihi non videor, si, ceteris rationibus illustratis, in huius libelli fine affero, quae habeo de illis dicenda.

Hae uteri prolapsus sanandi rationes quum vel morbo essent minores, vel cum eventu improspero coniunctae, medicos adduxerunt, ut omnino aliam viam sequerentur. Conati enim sunt, operationibus cruentis partes, per quas uterus prolabitur, coarctare, solitoque angustiores reddere. Fricke ille[1]) introitus vaginae coarctando, operationis episiorrhaphiae, primus auctor fuit. Cuius rationem hanc instituendam esse docuit. Aut cultro aut forfice margines labiorum pudendorum ita epidermide privandos esse, ut ab utraque commissura et anteriore et posteriore illaesa remaneat pars circiter sexta. Quo facta sutura nodosa coniungenda esse vulnera, ut coalescant margines relinquantque spatium lotii mittendi excretionumque sexualium. Haec operatio qualis sit, accuratius examinare, mihi non necessarium videtur, quum, quantum scimus, nostris temporibus nullus medicus eam defendat, atque etiam, qui eam defenderunt, ab ea reversi sint. Haec habemus, quae brevi contra eam dicamus. Primum quidem multo cum dolore nullam habet nec sanandi nec levandi vim. Nil ab operatione sperare licet, nisi uteri prolapsum completum mutari in incompletum. Atque etiam ne id quidem omnibus in casibus assequi possumus. Quid, quod Kiwisch a Rotterau narrat, mulierem quandam foetum octo mensium per spatium posterius peperisse, illa adhaesione in episi-

---

1) Caspers Wochenschrift, Berlin 1835. Nro. 12. u. Hamburger Zeitschrift für die gesammte Medizin, Bd. VIII, Hft. 2, 1838.

orrhaphia facta, plane illaesa.[1]) Spatia per episiorrhaphiam facta quum tantopere extendi possint, uterum ipsum quoque, qui, ut onus, semper premit adhaesionem, prolabi posse, quis est, qui neget? Quod quum evenisset, mulierem maximum in periculum, incarceratione exorta, vocaret. Ceterum aegra, pro illa operatione cum dolore vehementissimo coniuncta, minimam, ne dicam, nullam habebit utilitatem. Eius enim parum interest, num uterus longius brevius prolapsus sit nec ne, si satis longe, ut omnes morbi molestias ferre debeat. Quae enim comparata est per operationem coniunctio nihil est nisi retinaculum, quo ne efficitur quidem, quod speratur. Dieffenbachius ipse, quum initio multum de hac operatione sperasset eamque saepius adhibuisset, inutilem neque fini assequendo aptam esse, ratus, ab ea rediit.

Quum hanc operationem ad uteri prolapsum non modo non sanandum, sed ne retinendum quidem valere inter omnes constaret, alia est inventa, etiam difficilior maioreque cincta dolore, coarctationem dico vaginae, operationem *Elythrorrhaphiae.*[2]) Ad quam efficiendam ab aliis alia proposita est ratio. Ex his, si quidem aliquis medicus in animo haberet, illam operationem instituere, haec optima est. E pariete vaginae prolapsae posteriore pars elliptica membranae mucosae, qua fuit procidendi conditione, fixa digito adiutoris in mulieris rectum illato, excidebatur. Quae pars tanto fuit radio transverso, quanta latitudine vagina ipsa. Plurimis filis margines vulnerum perforati sunt, et, prolapsu reposito, fila inter se in sutu-

1) Eius klinische Vorträge etc. Prag 1845. p. 156.

2) Gazette médicale de Paris 1832, 21. Janv. (Marh. Hall.) Ireland: Dublin Journal of medical and chemical Science 1835. Jan.

ram nodosam coniuncta. Si vagina quam latissima fuit, duas vel plures eiusmodi particulas excidendas esse, docuerunt. Hac operatione introducta, sapientis lapidem inventum esse putarunt, qui omnibus morbi illius miseriis mederetur. Atque Dieffenbachius ipse eam saepius instituit, malum se sanasse, ratus. At ocius tardius miserae mulieres redierunt, denuo de prolapsu questae. Omnes enim uno ore consentiunt, malum, operatione instituta, rediisse. Etiam si, ut Kiwischius dicit, negante Mayero, ratio haec mulierem in periculum vitae non vocat, tamen quo eventu est incerto, non habet, cur commendemus.

Etiam minoris, quam haec, facienda est illa ratio, qua tota pars vaginae prolapsa, abscidi iubetur. Sed quanta pericula! Difficillime est examinare, quae omnia sint prolapsa. Quare eventus anceps semper vocandus est, ut Winzmannius, quum aegra, hac operatione adhibita, mortua esset, tardius intellexit.[1])

Venio nunc ad Colpodesmoraphiam describendam. Cuius auctor fuit Giambattista Bellini.[2]) Aegram in lectus margine poni iussit. Pars vaginae, quum hamulo capta et detracta sit, ab assistente quodam retineatur. Quo facto, digito in rectum illato, plica vaginae prolapsa suatur in formam literae U subversae (∩) Tunc filum adstringatur nodoque figatur.

Neque haec ratio a medicis probatur. Quantum scimus, nemo secutus est. Haud scio, an de hac ratione idem valeat, quod de quibus supra diximus.

Sed sequuntur illae operationes incruentae, quibus coarctari vaginas, fuerunt, qui iuberent. Ac primum quidem

---

1) El. v. Siebolds Journal Bd. I. St. 2. S. 244.

2) Bulletino delle scienze mediche. Bologna 1836. Novbr.

quum de omnibus remediis rodentibus tum maxime de ferro candente sermo est. De quo primus verba fecit A. Laugier.[1]) De quibus prae omnibus id valet, quod iam supra diximus de aliis rationibus, plerumque fieri, ut malum revertatur. Quanquam Dieffenbachius ille, quo nullus recentioris temporis medicus fuit maior, pro iis certabat, tamen dubitandum est, aegram esse, quae pluries, eventus quum sit incertissimus, subeat illam operationem ferri candentis adhibendi. Neque hoc loco est ommittendum, Dieffenbachium ipsum dixisse[2]) ferrum candens, si aegra esset viribus depressis vel si magnae membranae mucosae plicae prolapsae essent, fugiendum esse. Quoniam vagina in veteribus prolapsuum casibus fere semper ita se habet, in iis, qui sunt quam maxime crebri et pessimi casibus nullum auxilium ab illa ratione petere possumus. De ceteris remediis rodentibus nihil dicere possum, quo magis commendentur.

